


**Leges Studiosis In Academia Christian-Albertina quae Chilonii Holsatorum est
Praescriptae & Ad continuam officii sui commonefactionem editae**

Kiloni[ij]: Reumannus, 1665

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757189970>

Druck Freier  Zugang







UNIA
DEN

1843 21 Kuffen


Ac-12^{1-12.}
1-51 <R>









116







M

LEGES

STUDIOSIS IN ACADEMIA
CHRISTIAN-ALBERTINA
quæ CHILONII HOLSATORUM est

PRÆSCRIPTÆ

&

Ad continuam officii sui commone-
factionem editæ.



KILONI,
Literis JOACHIMI REUMANNI, Acad. Typogr.
ANNO 1665.



LEX I.



CUM quilibet hominum, ipsaque hæc Academia, à SERENISSIMO Fundatore ad Gloriam DEI primario sit condita, vestri cumprimis est officii, Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum adorare, colere, ac revereri, Pietati studere, verbum ejus sacris Bibliis revelatum, & priscae Ecclesiae symbola, in summo pretio habere, sabbatum diesque festos alios ritè observare, & ad eundem finem, DEI Gloriam, Studia, vitam, moresque vestros sedulo componere atque dirigere.

II.

Proinde nemo esto Divini Nominis temerator, Sanioris Doctrinae à Protestantibus Professæ Contemptor, aut insectator. Nemo improbis moribus, temulentia atque in humanitate sua Deum hominesvè offendito. Religionem juramenti quisque sanctissime observato, ac grave perjurii crimen, quod ipsum præcipue DEUM ultorem habet, quanta potest diligentia, evitato.

III.

Serenissimo Academiae Fundatori, Ejusque Successoribus, seu Supremo Academiae Magistratui atque RECTORI obedientiam atque humillimam subjectionem præstate, nihil unquam iniqui noxiive in Eorum personas, ditiones, ac provincias, dignitatem, aut jura, ipsamque hanc Academiam, ejusque salutem, incrementum, ac incolumitatem, aut in hanc Civitatem quicquam seditiosi, aut improbi moliti.

IV.

Magnifico Academiae Pro-Rectori, Senatui Academico, omnibus, & singulis Professoribus, æque ac Parentibus Vestris, obedientiam, reverentiam, obsequium, & observantiam exhibete.

V.

Quisque Vestrum intra Octiduum, ex quo civitatem hanc fuerit ingressus, nomen suum apud Magnificum Pro-Rectorem profiteretur, seque Jurisdictioni Academicæ subjecito, omnibusque Edictis ac Decretis deinceps sortè subsecuturis non minus ac his legibus, sine exceptione, aut tergiversatione, libenter pareto.

VI.

Quod autoritate Magnifici Pro-Rectoris, aut Senatus Academici publicè propositum, promulgatumve fuerit, Nemo refigito, corrumpito, aut ludibrio habeto: secus qui fecerit, gravissime punietur.

VII. Citatus

VII.

Citatus in iudicium venito, & sententiæ modeste pareto: nec vadimonium sive Arrestum, sine ProRectoris expresso consensu, deferito, hoc enim si quis violaverit, in perjurii crimen se incidisse scito.

VIII.

Exclusus ab hac Academia per relegationem intra milliare ab hac civitate defectu pecuniæ, aliufve causæ obtentu, ne subsistito; ni ita fecerit, sibi imputet, si quid acerbius, aut ignominiosius ipsi evenerit.

IX.

Pacis, Concordiæ, & tranquillitatis estote amantissimi, sive cum Commilitonibus vestris sive cum civibus oppidanis, aliisque sitis; Cedat Majori Minor, parcat Minori Major, pares æquo jure utantur.

X.

Qui infamem Pennalismum ab omnibus bonis cordatisque damnatum, ac proscripsum hic excitare, ac instaurare, aut seditiosa conventicula cogere, aut cœtus Nationales instituere, pecuniarum commestationumque exactione, aliisve iniquis modis nuper Academiam ingressos Studiosos divexare ausus fuerit, tanquam Academiæ hostis ac perduellis arbitrariâ, eaque gravissima pœna coercitus, exterminabitur.

XI.

Duella Civibus Nostri alio Academico inscriptis penitus interdicta sunt.

XII.

A vi quoque publica & privata prorsus abstinete, veluti ædium effractione, fenestrarum elisione, hominum innoxiorum pulsatione, similibusque aliis facinoribus. Vis enim publica ad minimum relegatione publicâ, privata privatâ, aut carcere, vel multa erit compescenda.

XIII.

Si quis vigiles, aliosque securitatis publicæ gratia excubias agentes adortus fuerit, pulsatus, vulneratusque non audietur, sed pro conditione facti insuper pœna afficietur; Si verò illorum aliquem occiderit, ordinaria homicidii pœna reo irrogabitur; si illorum quempiam vulneraverit, aut vim cuiquam fecerit, publica relegatione ejicietur.

XIV.

Quisquis armis suis abusus fuerit, in qualicumque congressu, facinore, aut proposito præter pœnam arma protinus caduca sunt, & Magnifico ProRectori sinè mora aut tergiversatione exacta traduntur.

XV.

Ignem neque seriò neque joco intra mœnia quis jacito.

XVI.

Qui faces in plateis aut domibus circumtulerint, aut ad domicilia eorumve antipagmenta alliserint, circumspecte hoc agant; aliàs graviter punientur.

XVII.

Nocturnæ grassationes, vociferationes, telorum strepitus, tumultusque arbitrariâ pœnâ, quanta remedio esse possit, punientur.

XVIII.

Mendacia, calumnias, obrectationes, convitia, contemptum & oppressionem pauperum, omnis generis fraudes fugite. Nam si quis homo privatus sibi potestatem aliorum mores ignominia notandi sumpserit, aut innocentium estimationem falsis criminibus, sycophantiis, vel libellis cantilenisve famosis laceraverit, is deprehensus infami exclusionem ex Academia ejicietur.

XIX. Quod

XIX.

Quod delictum puer aut famulus commiserit, ejus Dominus quoque reus esto, si nequitiae ministrum non prohibuit, cum prohibere potuit.

XX.

Castitatem, sobrietatem, temperentiam, & modestiam in omni vita sectemini, occasiones libidinum, & intemperantiae, ganeas, popinas, & cauponas publicas fugite. Qui contra fecerit, legitimae poenae se obnoxium reddet.

XXI.

Nemo in domos ubi celebrantur Nuptiae, non vocatus, irrumpat, nec sacri connubialis chorearumve festivitatem turbet.

XXII.

Nemo in aedes alienas, vel alterius museum invito inhabitatore, introito: nec invitum inde evocato vel abstrahito.

XXIII.

Nemo larvatus sive personatus, neque diurno, neque nocturno tempore prodito.

XXIV.

Ex mutuo vel ex empto, vel conducto, vel alio contractu quod debitis, ejus solutionem ultra diem, quo promisistis, invito creditore, non differte.

XXV.

Pro victu & potu vel pecuniam representate, vel quovis trimestri sine mora solvite. Quumque locationes & conductiones museorum & lectorum, nisi expressis verbis aliter convenerit, festo Paschatis & Michaelis, adeoque semestri tempore, definiantur; Si mutare sit animus, sex hebdomades ante hos praefinitos terminos contractui renunciandum est. Conductor id qui neglexerit, etiam si hinc discedens, dimidium semestris locarii persolvito.

XXVI.


Invitis creditoribus, nemo hinc se subducito.

XXVII.

Denique modum ponite cupiditatibus & affectibus vestris, coercete voluptates, refrenate iram, & vindictae cupiditatem, fugite luxum, superbiam, ambitionem, ceterasque animorum pestes; moresque vestros ad normam legum componite: Praemia morigeris & obsequentibus praebentur: in refractarios & immorigeros pro re nata Magistratus animadvertet. Si qui verò crediderint, se fallere magistratum posse, meriteque poenae se subduxerint, aut spe impunitatis liberius peccatis indulserint, Deum habebunt Vindicem.

Ille enim pro sua Providentia pro bonis bona, pro malis mala reddet.







ferunt ex optatissimi nati! Et quid de filiabus Tuis dicam,
tui & seculi ornamentis? quæ & ipsæ nobilissimas familias, ge-
næ sanguine, in novas inclytasq; stirpes succrescente, illustrant? In-
prima, MARIA ELISABETHA (quæ lux & gloria fœmina-
generoso Dno JOHANNI SAMUELI HEISTERMANNO
LBERG collocata. HEISTERMANNUM autem cum dico,
ntum aliquod exemplum in omni cultu civili ac habitu perfecti
co. Ita enim in eum, & morum concinna Suavitas, & rerum
darum cum variâ eruditione peritia, atq; eximius planè animi
or confluerunt, ut quâ parte horum magis mereatur æstimari,
le oppidò sit decernere. Ego certè ab ipsis planè Gratiis elabora-
sse virum judico. MARIE ELISABETHÆ natu proxima
A MARGARETA, è celebratissimâ BROCKTORFIORUM
A MARQUARDO WOLFGANGO, heroi strenuo nupta.
citas est SOPHIÆ AUGUSTÆ, natu in hâc pul-
minimæ, quæ WOLFGANGO BUCHWALDIO,
pis generosissimæ propagini sociata, extendere in se-
m profapiam, & novas ac eminentiores in eam virtu-
promittit. Sunt hæc profectò bona omnia tanta, ut
n commemorationem oratio mihi vix suppetat, de-
atq; succubitura, si pro dignitate singula exornare in-
n esset. Retribuit DEUS pietati Tuæ, Excellen-
, quando inter medios fragores bellicos, inter alter-
mirabiles & periculosissimas vices, inter invidorum,
lorum insidias, odia, crudelissimasq; minas, Te ani-
fractum, integrâ gloriâ, florente famâ, constante
erum ac populi favore, dignitatibus salvis & insuper
vit, servavit, munivit, atq; ita evexit, ut vix amplius
is divina illa faventia potuisset adstruere. Tu intereâ,
Domine, inter tot ac tanta Tibi propria decora atq;
hil abis à pristinâ tuâ humanitate, & verecundiâ ac
â modestiâ. Quæ maximus Princeps, quæ Patria, quæ
Atlantæis tuis pro communi egregio exhaustis labori-
pendere, & promptissimâ manu Tibi tuisq; offert
i non nisi trepidè atq; cunctanter, hæsitans ac multum
i, ut modestissimi solent, admittis. Quæ res profectò
m in ejusmodi admirationem rapit, ut agnoscere pa-
inter omnes divini animi tui dotes, omnia decora,
se maximum, quod publico natus factusq; bono
edicari malis. Sunt omnia, quæ hæctenus de Te
mihi

